

qui ipsorum *CD* simillimus fuit: quo facile perspicitur, quoties vere correctae, toties fere magis corrupta Plauti verba esse. Verum in hoc non acquiescens eadem manus alia non pauca, et haec quoque partim vitiosa partim non intellecta integerrima, nullo adhibito libro mutavit arbitrata suo nec raro infelicissime. Quibus omnibus recte pensitatis intelleges non esse Veteris codicis correctiones unius certae normae lege generatim censendas, sed singulis in locis sola ratione duce aestimandas.

‘Omnino autem non sine miratione intellectum iri puto, quam male habita haec fabula per Palatinos codices et Vaticanum ad saeculum XV sit propagata: prae cuius depravatione incredibili modica est Trinummi depravatio. Quanquam vel sic habemus quod depravationem nobis gratulemur non consilio potius quam negligentia hominum et iniquitate temporum natam. Et cum in quibusdam rebus libri illi ipsius antiquitatis vestigia multo quam in Trinummo constantius servarint, quo praeter cetera pertinet *t* litterae usus in *at* *aput set it quit quot* et cognatis, tum corruptelae quoque longe plurimae certis generibus continentur quorum incredibilis frequentia. E quibus mira incuria illa designanda est qua, ut exemplis rem declarem, non modo *bona* et *bonam*, *posse* et *possem*, sed etiam *bona* et *bonum*, *possem* et *posset*, omnium autem creberrime *posse* et *posset* cum parilibus omnibus perpetuo inter se permutantur: quod facile existimatur quanti sit ad colloquentium sermones recte iudicandos definiendosque. Vt in Militem Plautinam illud cadat imprimis quod magnus Scaliger dixit *vetusta manuscripta sterquilinia esse e quibus elici posse aurum*. Quod ut eliciatur reapse, magna prudentia opus est qua mediam viam quandam insistentes nec nimium quaeramus in naevis solo casu ortis quantumvis miris et saepe monstrosis, nec ut nugas tricasque quamvis levidenses litterarum discrepantias neglegamus ipsius manus Plautinae indices. Tanta est autem mea sententia iamiam adultae artis criticae vis et fides, ut non nimis diffidam etiam e corruptissimis, si minus Plautina, at non indigna Plauto atque adeo Plautinorum simillima erui posse, modo quattuor potissimum rerum observatio accedat acerrima. Sunt autem eae integri-